

ĪTALIA

V

CAERULEUM est Ītalīae caelum. Ītalī caelum caeruleum amant. Britannis quoque caelum caeruleum grātum est, sed nōn saepe Britannīae caelum caeruleum est. Ītalīae agricolae olīvās et vīneās laudant, iuvencīs albīs agrōs arant. Placidī sunt oculī iuvencōrum. Placidī et pulchrī sunt iuvencī. Ītalīae agricolīs grātī sunt iuvencī. Britannicī agricolae nōn iuvencīs sed equīs agrōs arant. Validī et pulchrī sunt equī magnī. In Ītaliā clīvī multī sunt. Ītalī in clivīs parvis oppida aedificant. Oppidānī oppida in clivīs habitant. In campō vīneae et olivae sunt—in clivīs oppida. Per campōs viae Rōmānae sunt. Longae et rectae sunt viae Rōmānae. Oppidānī olīvās et ūvās, agricolae pecūniam dēsiderant. Itaque oppidānī pecūniam agricolīs dant, et per viās Rōmānās agricolae olīvās et ūvās ad oppida in plaustrīs portant.

RŌMA

VI

ŌLIM Rŏmānī oppidum parvum habitābant. Nunc magna et splendida est Rŏma ; magnae et lātae sunt oppidī viae. In angulīs viārum rosae sunt ; Rŏmānī templīs et monumentīs viās ornant. Ōlim in Forō Rŏmānō templa multa et splendida erant. Cotīdiē virī Rŏmānī in Forō ambulābant. Albae erant togae virōrum, sed rubrae et caeruleae et croceae erant pallae fēminārum. Arae quoque in Forō erant. In āris Rŏmānī victimās multās Deīs Rŏmānīs mactābant. Nōn iam templa sunt in Forō Rŏmānō. Nōn iam mactant Rŏmānī victimās in āris. Sed etiam nunc pulchrum est Forum Rŏmānum. Multae sunt ruīnae ; rosae multae inter ruīnās sunt. Inter ruīnās et rosās lacertae parvae properant. Pulchrae et iūcundae sunt lacertae. Cicādae quoque undique cantant. Lacertīs et cicādīs grātum est caelum caeruleum.